GUILHELMUM MAGNUM

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ,

REGEM SERENISSIMUM, POTENTISSIMUM
Defensorem Fidei

Ex *Belgiis* Reducem & Triumphantem

INCOMPARABILEM HEROEM

HEROICA ORATIO

HEROICIS CARMINIBUS post recuperatam & victam

URBEM & ARCEM NAMURIENSEM

Die 24. Octobris *St. V.* 1695. *in* S. Jacobi *Sacello familiæ Regiæ Belgico Annuente D. T. O. M. publice recitata à Sacræ MAJESTATI Devotissimo Servo, & Subdito Fidelissimo*

ÆMILIO A CUILEMBORG
Ecclesiæ Londino-Belgicæ *Ministro.*

LONDINI,
Apud *H. Mortlock* & *J. Robinson* habitantes in platea vulgo *St. Paul's Church-yard* sub signis *Phœnicis*, & *rubri Leonis.* MDCXCV.

Cum vix aliquis in re Poetica invidiæ faces effugere poſſit (ipſo Marone *cum ab Auguſto Teſtamento combuſtionem ſuorum librorum peteret, propter Carmina μάστιγας famæ & exiſtimationis habente) nec nemo hydram illam livoris tot capitibus repullulantem, niſi alter reſurgat Hercules profligare valeat expolite hoc* Joſepho *innuente, cum dicit* ἀμήχανον δ' ἐν εὐπορίαις διαφεύγειν, *hoc eſt* non fieri poteſt ut quis in rebus præclaris invidiam effugiat. *Cum etiam maximi ſit laboris, & Molis gravissimæ* τοῖς πᾶσιν ἀρέσκειν : *quapropter*

Excellentiſſimis Dominis

Reverendiſſimo in CHRISTO Patri

THOMÆ

Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primati & Metropolitano &c. &c. &c.

Ut & Illuſtriſſimo ac Generoſiſſimo

WILHELMO

Portlandiæ Comiti Majeſtatis REGIÆ *Cubiculario ſummo* &c. &c. &c.

Nec non Nobiliſſimo ac Strenuiſſimo

ROBERTO ab ITTERSUM

Libero Baroni de Nieuwenhuiſſen, *D. D. Ordinum Provinciæ Tranſiſulaniæ in Belgiis Præſidi*, &c. &c. &c.

Ora-

Orationem *hanc* Heroicam Heroicis *Carminibus ex ipsissimo Cordis affectu & candidissimo Amore ad tantum Regem recitatam, ut sub ipsorum* Heroico *Clypeo requiescat, & ab Invidiæ flammis late grassantis, ipsiusq; spiculo horum spectabili Auctoritate tuta servetur*

ea qua par est obedientia, submissione & Observantia

offert, dat & dedicat.

Venerabundus ac Humillimus tantorum Dominorum Servus

ÆMILIUS A CUILEMBORGH.
Ecclesiæ Londino-Belgicæ *Minister.*

IN

WILHELMUM MAGNUM

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ,

Regem ſereniſſimum, potentiſſimum, &c. *Ex Belgiis Reducem incomparabilem* HEROEM HEROICA ORATIO, &c.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Strenuiſſimi, perquam Reverendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Acutiſſimi, Doctiſſimi Domini, ac reliqui Auditores Humaniſſimi, Præſtantiſſimi!

ARma VIRUMque cano nulli Virtute ſecundum,
Stemmate præſtanti, quo non illuſtrior alter
Nec Proavis; qui colla jugo aſpernantia preſſis
Subvenere ſuis, fama ſuper æthera noti.
Hæc præclara Viris: *Batavos* Puer iſte feroci
Eripuit *Gallo.* Quid non fatalibus actis
Auſpiciis magno, Vir Princeps fecerit auſu?
Cum tria jam meritam cingant *Diademata* frontem:
Tutaque præteritis mare ceu concuſſa procellis
Fluctibus ac ſævis, dederit *Britannica* Regna,
Vindice tuta ſuo. Qui major Regibus ultro
Depulit immeritis ſervilia vincla lacertis,
Juraque reſtituit Regnis ac civibus Urbes.

Sæva Superſtitio, mentem quæ faſciſat ægram,
Dira lues animi Furiis agitata *Lojolæ*,
Terreret cunctos ac fax accenſa Britannos,
Impete freta ſuo: cum jam crudelis *Hibernus*
Conciperet veteres *Anglis* immanior Iras.
Non tulit AURIACUS ferales impiger auſus,
Texit at innumeris ſubſtratum navibus æquor,
Milite quas denſo preſſas Nautiſque gementes
Disjecit vehemens adverſo cardine Ventus.
Propoſiti firmum non tardavere Procellæ:
Inſtaurat Claſſim ac ventis votiſque ſecundis
Torbææ placidus tutis allabitur oris.
Vix tremebunda tenet trepidus jam Sceptra *Jacobus*,
Conjugis attonitus lacrymis (quæ prævia tanti
Cauſa mali ficta cum Relligione *Puellum*
Anglorum demens auſa eſt obtrudere Genti)
Conſcia Mens facti, jam nec vulgaria ſpernit
Judicia, ac omnes ſucceſſu mulcet imani.
Senſit fallacem præſtans *Eccleſia* palpum;
Omnes ſubjecti ſenſerunt. Itur ad arma:
Ut Diadema prius quadrat ſic Caſſida fronti.
Nunc: Genero necdum viſo dat terga benigno,
Ac titulare petit tali cum Principe Regnum,
Vera VIRO forti linquens Divæque *MARIÆ*.
Auſpicio *Galli* reducem ſua Fata manebant.
Quid tandem tua Sceptra fugaci fidis Hiberno
Ipſe fugax? En Victor adeſt! non tela, nec undæ,
Tardant audacem *Generum*, non vulnera ſæva.
Illi læva latis, dextram nam ſpernit inertem
Sola tuam: nunquam poſthac rediture *Britannis*
Jam bis pulſus abi.

Hic

Hic fato cecidit magnus *Scombergius* Heros,
Ac humeri manat Regis de vulnere ſanguis,
Palma tamen nobis, ſpoliumque ex Hoſte relatum eſt.
WILHELMO REGI magno per tela per undas,
Per flammas, fumum, ferrum globuloſque ruenti,
Non certe Decios pulchros, forteſque Metellos
Prætulerim, non qui Pœnum domuere ferocem
Scipiadas, Galliſque genus fatale Camillos.
Sic ſub Rege ſuo eſt pedetentim Hibernia tota
Oppugnans longum vel Marte vel Arte reducta;
Ad quod *Ginckelius* Ductor Vir maximus armis,
Multa tulit Comitis præſtantis Nomen adeptus.
Poſtea dum *Princeps* privatus Honore, *Stuartus*
Ad latebras rurſus ſolitas vel celtica Rura
Se tacite confert, & magno Murmure mutit,
In noſtrum REGEM cecinit vox læta triumphum;
Londiniq; vident longas Capitolia Pompas.
Dum ſcandunt ſolium REX & REGINA *beati*,
Civis & aſſeruit ſeſe, fugitque Catenas,
Non ita felices *Britti* per multa fuere
Secula, præſenti quam quo nos vivimus ævo.
Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Servitium: nunquam Libertas gratior exſtat,
Quam ſub Rege pio: Sic vates Laurifer inquit.
Quæſumus Auditor! crimen perchare remitte
Quod tanto Regi fuerit componere verſus
In re Divina tantillus Homunculus auſus:
Atque quidem Latii Lingua, qua rarius olim
Si quid habet venæ Muſarum, Carmina fudit:
Eſt Amor invictus, flammans & Pectoris æſtus,
Accendens Animum; quamvis vernacula tantum

Lingua

Lingua fuit Tubicen, rauca qui voce canebat
In Patria dulci magni Magnalia REGIS.
Sicut & hoc Anno cecinit præclara Virorum
Ac Batavi puro lætos ſermone Triumphos.
Non humilis voluit, potuit nec tanta Poeta
Principis acta VIRI calamo linguaque tacere.
Si quis habet meliora, canat dicatque Trophæa.
Audiat hæc Momus! magis & mordere quieſcat;
In Magnis voluiſſe ſat eſt: Theonine valeto.
Dum ſic *Auriacus* REX dum REGINA *Stuarta*
Sceptra tenent, Gallus miſerorum ſanguine gaudens,
Indocilis flecti, cui ſtat pro Lege voluntas,
Et ſola in ſtricto ſemper fiducia ferro,
Qui plagis lætus, lætus ſtridore catenæ,
Et ſimulans pacem, cum nil niſi Bella minetur;
WILHELMUM fortem, ſimul atque peroſus ab omni
Tempore, tam dignas voluit privare verendis
Perſonas Sceptris, ſic ſubſtituendo *Jacobum.*
Non mirum: Sociis eadem eſt ſententia binis
Regibus his ſemper: *Sævis ſors iſta Tyrannis*
Convenit, invideant claris, forteſque trucident,
Muniti Gladiis vivant, ſeptique venenis
Ancipites habeant Arces, trepidique minentur.
Præcipue eſt Hominum, normam qui vivere juxta
Solum Scripturæ cupiunt, ludibria ficta
Numina Pontificum ſpernentes, Hoſtis uterque.
Scilicet hæc Turba eſt *Divum & Pietatis avitæ*
Contemptrix, ſancti damnans Myſteria Papæ:
Quæ procul a Caulis abducta, & ovilibus almi
Paſtoris, ritus pravos, nova ſacra per Urbes
Inſtituit, priſcaſque audet reſcindere Leges.

Ac

Ac ſic per laqueos, flammas, ferrumque, per undas,
Vincula, per virgas, tormentaque plura necandi.
Talia perſenſit, quondam Britannica Tellus:
Cum Regina manu gemmantia ſceptra teneret,
Octavi *Henrici* Regis truculenta *Maria*
Filia, cum ex tenebris craſſis affulſerat orta
Splendida Lux Homini, *Satanas* quam extinguere tentans,
Inſtar aquæ cruor eſt ab eo perfuſus in omnis
Partibus *Albionis*, perſenſit *Hibernia*; ſenſit
Tellus quæ colitur ſeptem regiturque Dynaſtis
Belgica: *Philippus* cum *Rex* mittebat *Iberus*
Alvana de Gente *Ducem*, quo ſævior alter
Vitales hauſit, nec qui crudelior auras:
Abſtulit ille Duces, ille abſtulit enſe voraci
Cives, & varia turbavit Mœnia clade
Gallia, cum Thalamos ſpectaret læta jugales
Navarræ Regis, magnus *Colignius Heros*
Pro patriis tectis, pro Relligione ſuorum
Cum multis cecidit, paſſis ſupplicia, ſenſit.
Et nunc præſenti *Ludovici* tempore noſtri,
Organa qui ſævæ fabricavit plurima Mortis,
Supplicii multum Genus, ac dictavit in antro
Tartareo Satanæ cuſum; Non poſſe *Perillum*
Talia pro *Phalaris* lubitu excogitare cruento
Dicitur; igne Bovem falſum qui torruit acri.
Invidia Siculos non inveniſſe Tyrannos
Tormentum majus, quam quas ſæviſſima plagas
Gallia Xaverii ſimulanti juncta catervæ
Attulit (ut dicunt) *Hugenotis* Nomine Regis.
Sed quas ô tandem Domino dabis improba pœnas?
Dic *Babylon*! & te non *Gallia* fœda tacebo;

Supplicium te grande manet, te pœna manebit
Infelix, poſtquam Judex in nube ſerena
Dicere jus veniet, ſceleriſve coarguet Orbem.
Sævitiam novere tuam, rabiemque remotæ
Gentes, quæ longos habitant Titanis ad ortus.
Et quæ Phœbeos occaſus lumine luſtrant.
Mitto quas ſtrages, & nunc ea prælia mitto,
Quæ quondam inflixti crudelis Gallia Belgis
Quod vulnus, quantos non commemorare dolores
Infandos valeo: vel ſi mihi Maximus ipſe
Ora Deus centum, linguas vel mille dediſſet,
Vel ſi nocturnas æquaret protinus horas
Phœbeis. Maduit quam ſæpe miſerrima Tellus
Sanguine civili? Summa quam ſæpe catervas
Suſpenſas laqueo conſpeximus arbore noſtras,
Et Fratrum cædes, Hominum pars enſe cadebat
Maxima, conſumpſit claros Juveneſque ſeneſque
Flamma vorax, ædeſque ſimul, ſimul alta ruebant
Tecta domus; proh! ſit verus *Bodegravia* Teſtis
Cum *Swammerdammo*, celebres qui nomine Pagi
Semper apud Batavos priſcos opibuſque ſituque
Luxemburgiaci ſenſerunt ſæva Tyranni.
Sed tandem pœnas ſcelerato ex ſanguine ſumpſit
Omnipotens, dirumque Caput ſub Tartara trudit.
Sic Deus exſcindit Divini nominis Hoſtes.
Sed furor haud ceſſat: ceſſat neve Hoſticus enſis;
Quid *Gallus* fecit, poſtquam Pax optima rerum
Noviomagenſi fiebat in *Urbe* peracta,
Perfidiæ eſt quoties animam vel crimine paſſus
Fœdifragus lædi: novit *Leopoldus*, & omnis
Teutonicus Princeps, magnus *Rex* novit *Iberus*.

Et

Et *Luxemburgum* pariter quoque *Genua* fortis,
Argentoratumque profundæ tempore Pacis
Ereptum novit, novit *Sabaudicus* Heros,
Magnanimus Princeps, techinis qui mille petitus.
Urbs novit *Caroli Regis* ſic nomine dicta,
Mallaga, *Leodium*, ac præſtans *Alicantia* novit,
Præ cunctis novit *Germania* parte *Palatis*
Rhenanâ: quænam proh: deteſtanda fuere
A *Gallo* in pulchrâ ſævo Regione peracta!
Oppida quot ſunt hic vaſtata, & ubique Locorum
Ad *Nicrum* fluvium, quot pagi? quotque ruinas
Urbes expertæ ſunt? ah! *Wormatia*, *Spira*,
Læta ſitu *Manheim*, velut *Oppenhemia* pulchra.
Heidelberga fuit præ primis paſſa Dolores,
Palladium, doctique Viri, illuſtriſque Ducatus
Magni, qui poſſedit eam tunc, Principis aula,
Non tantas *Priamus*, non tantas *Troja* ruinas
Vidit, nec tantum potuit perferre dolorem,
Te *Danai*, Civeſque tuos *Phrygioſque* Penates
Altaque verterunt tenebroſa *Pergama* nocte,
Aſt Gallus Cives ſemper miſeroſque Colonos
Nocte dieque premit, non illis hiſcere tutum,
Deſeruere Agros, quos longâ Pace quieti
Incoluere ſuos: hæc eſt jam Gloria Galli.
Aſt DEUS Omnipotens, cœli terræque Creator,
Sidereo tandem oppreſſos conſpexit ab axe,
Hos miſeros audit mox vota preceſque ſuorum;
Atque *Ducem* pariter cunctis pietate vel Armis
Suſcitat egregium Patriæ qui dulcis habenas
Vix Juvenis fato ſumpſit pereuntis iniquo:
Qui crevit, veluti *Penei* ac ad Fluminis undam

Stat

Stat *Laurus*, lateque viget, quæ Flumen adumbrat
Et ripam foliis, pecus & munimine ſervat
Contra Phœbeos æſtus, Canis atque furores.
Haud ſecus inſignis divo plenuſque favore
Naſſovici Generis crevit ſic *Regius* Heros.
Qui ſimul atque vigens cum denos attigit annos
Bis, binos præter valuit reparare ruinas
Afflictæ Patriæ, Batavorum animoſque Viriles;
Spem magnam preſſis injecit, & Hoſtibus amplum
Terrorem incuſſit, totum tremefecit & Orbem,
Sævitiæque ſuos tanti, tum temporis Hoſtis
Subtraxit, dedit atque viriles tollere vultus:
Perque vices Regni ſolio ſic quinque relicto,
Æquora ſulcavit, miſeris ſuccurrere promptus.
Ac Regis ſævi magnas proſternere Vires.
Convenere Hagæ Comitis *Proceresque Duceſque*
Egregii cum REGE pio, quia Bella ciere
Auſum viderunt Gallum per faſque nefaſque:
REX magnos hauſit flammato corde furores,
Et ſic attonitus Lacrymis affatur obortis.
Aut ultor veſtræ fidiſſima corpora Mortis
Aut Comes ipſus ero, juſtiſſima bella movebo,
Pro Regni tectis, pro libertate meorum
Et pro conjunctis mihi firmo fœdere pugnas
Acres pugnabo: ſic pellam finibus Hoſtes.
Quos ego; ſi vires vel ſi Deus arma miniſtret,
Ferro ignique ſequar, Gallorum & ſternere vires
Tendam: Magnanimi Proceres, ſi vultis ad arma
Conſilium veſtrum noſtro conferre parati,
Diſpliceat vobis Galli ſi ſæva Tyrannis,
Nunc agedum Socii, quæſo conjungite Tela,

Con-

Concordes Animo ſitis, coaleſcite in Unum
Creſcere Res etenim *facit* hæc *Concordia parvas:*
Aſt ſpectate precor, quaſnam Diſcordia Terras
Diſſipat infelix, quæ turbat Mœnia Regni
Diſſidiis, Hoſtis facile cum Milite pauco
Subjicit hæc. Quantos Diſcordia fœda ſilebo
Perdidit & Reges, & quantas diruit Urbes!
O pudor! invictas bello turbavit *Athenas*,
*Argolicaſ*que Domos, *Spartana*que mœnia ſolvit.
Neve ego præteream Terræ, Dominamque ferocem
Æquoris *Auſoniam* poſuit quam Bellica virtus,
Aſtra ſuper, *Roma*mque tulit Fortuna per auras:
Sed poſtquam Laudis *Romanos* dira *Cupido*
Heroes rapuit, *Latiam* & diſcordia Gentem;
Quis ſtatus *Italiæ*? quæ tum *Romana* poteſtas?
Victa jacet Virtus, & cœcis merſa Tenebris.
Pompeianorum hinc vidit *Pharſalia* cædes,
Atque hinc *Pompeii* triſtes *Ægyptia* Caſus.
Viveret & *Cæſar*, *Marius* ſi viveret Heros,
Fulmina *Romani* Regni, Imperiique Columnæ,
Damnarent patrios civiles atque tumultus,
Neve tot *Auſoniæ* Populos in fata ſuorum
Armaſſent, *Italoſque* Duces ad triſtia Bella.
Quas non deſignat turpis *Diſcordia* cædes!
Quapropter Socii mecum concedite in oras
Flandriacas, Armis concordes quæſo petamus
Hoſtiles Terras, nobis Victoria Laudem
Certa dabit *Chriſto* magno Duce, & Auſpice *Chriſto*.
Sic fatus movitque Duces, cunctumque Senatum,
Qui ſimul hos curſus, pariterque hæc bella probabat.
Præ reliquis *Bavarus Princeps*, *fortiſſimus Heros*

Nobilitate potens, & Belli Maximus Armis
Reſpondens REGI *magno* ſic talia fatur.
O Decus! O ingens *Anglorum* Maxime clamat
Ductor, REX *grandis*, Vitam Virtute per omnem
Quem colui ſumma neve in Diſcrimine linquam
Communis tecum ſortis tentabo Procellas,
Hæc unquam nec me fugientem Terra Videbit.
Sed Stabo, donec validis mea dextera in armis
Pugnanti peperit Lethum, famamque perennem,
Duc age, *Ductorem*, te tē per tela, per Hoſtes
Uſque ſequar, manus hæc, hæ vires, hique lacerti
Ducere præbebunt ſummos ex hoſte triumphos.
Adſum quo ducis, *dum Spiritus hos regat artus,*
Eſto Deus mihi Teſtis ad hæc & Sidera Cœli.
Sic dixit *juratis*, jurarunt atque Dynaſtæ
Belgarum ſummi Telluris ſive Magiſtri,
Fœdere conjunctus REGI nunc jurat & omnis,
Ad Cœli Digitos duplices ſimul æthera tollens.
Illuſtres cum REGE *Viri* quid Milite forti
In commune Bonum paucos fecere per annos:
Quam fractæ Vires *Ludovici* Tempore noſtri
Hoc ſunt, atque modo quali eſt elatio Galli
Per mare, per terras Armis ſuppreſſa cruenta,
Poſtea non longum tempuſque Dieſque docebunt.
Carmine vel dixi, cum Mors quæ parcere nulli
Aſſueta eſt Homiuum *illuſtrem Divamque* MARIAM
In damnum Regno æternum ſubtraxerat, eheu!
Quam cum REGINÆ Mortem perpendere coner,
Regnorum Decoris nulli virtute ſecundæ,
Mortalis cujus Mentis recitare verendas
Nemo poteſt Dotes, cum ſit ſuper omnia Laudum,

Præſen-

Præſentiſco meas Lacrymas nunc ſiſtere curſum
Eloquii: Sileat vox Linguæ *faucibus hærens.*
At REX *WILHELMUS* cupiens relevare Dolorem
Quo medio potuit, nunc rurſus ad arma vocatus
Ut ſolet intrepidè ad ſua Caſtra per Æquora tranſit.
Hic exercetur vario Certamine Miles.
Et curſu atque armis, & diſcit ferre labores.
Ac poſtquam Populos luſtraſſet REGIUS *Heros.*
Partibus à multis *Europæ* ad bella paratos
Anglos, Germanos, Belgas, Bavaroſque Dynaſtas,
Hiſpanos, Flandroſq; Duces Dominoſque vocavit:
Hic lectos Socios, magnos *Heroas* & illic,
Hic Patriæque Patres, fidum hic videre Senatum,
Adnixi *Proceres* ſtabant ex ordine longo
Haſtis, Conſilium magnis de rebus habentes,
Excipiunrque Duces: poſt ſic REX *ANGLICUS* inquit:
Pallada confinxit recte *facundia vatum*
Eſſe Deam belli, Doctrinarumque Magiſtram,
Quod ſine Conſiliis belli fortuna recedat,
Dardanidaſque magis vires effregit *Ulyſſes*
Prudens Conſiliis, quam ſumptis fortiter armis
*Æacides, Ajax*ve ſuis. Luſtro arma viroſque
Egregios numero plures ac antea promptos
Ad pugnas, video hic valido *Tyrone* Cohortes
Inſtructas, gaudente ſimul concurrere terro
Cum *Gallis* diris; patet hoc ex voce ſonora,
Ex vultu; calida Miles ſtat percitus irâ:
Fortiter arma capit, ſtant & pugnare parati
Ductores, totuſque fremit clamoribus Æther.
Magnanimique Viri ſemper mea ſigna ſecuti,
Injuſſis per Saxa animis, rapidumque per æquor

Non

Non curant *Gallos*, metuunt non undique Gentes
Collectas rapidasque minas Hostisque superbas.
Armis quapropter Domini tentamina Clari
Sumite, quo medio *Ludovici* frangere vires
Possumus audaces, nunc hac æstate cruenti.
Nomine præclari *Leopoldi* Cæsaris hic est
Germanus Princeps veniens *Badensis* ab *Istro*,
Hic sua communi peragit pro sorte: *Sabaudus*
Egregius Ductor *Casallum* cepit: *Iberus*
Rex magnus vigilat: *Veneti reverenda Senatus*
Attulit ingenres Strages hostilibus armis
Turcæ, qui *Socius Ludovici* maximus annis
Pro multis fuit, atque modo jam quærit eodem
Collineans metam cum Gallo commoda sævo.
Quid nos jam Domini? quæramus quæso Triumphos
Ut Socii, firmo nobiscum fœdere juncti.
Hæcque placent nunc Verba Viris animisque Senatus;
Et *secreta* fuit subito *Conclusio* facta.
Est in conspectu *Flandri* celeberrima Gente
Urbs dives, diri studiisque asperrima Belli
Clara situ, Populoque frequens & florida pace
Et durum chalybem, ferrumque in pectore gestans,
Urbs quæ inter Socias Urbes tantum caput effert,
Quantum lenta solent inter Viburna *Cupressi*
Stemmatibus patriæ generoso sanguine cretis.
Urbs à Principio cæcis immersa tenebris,
De proprio quamvis cerebro narrata fuere
Traditione simul dubio de *Nomine* multa.
Sunt qui derivant vocem, de vetere Gentis
Viventi in summo montis, cultoque *Deastro*;
A vulgo *Nani* communi nomine dicto:

Aſt *Urbem* dicunt alii, doctique *Petroſam*
Muroſam propriè, Romanis ante fuiſſe
Temporibus, quaſi tunc *renovatus* nomine *Murus*;
Sic Gallis *Namur*, *Namen Belgis* digitatus,
Namurcum Latii populus, *Namiamq*; vocavit,
Namurram aſt *Italus*: magnus ſed *Lipſius* inquit
Namurum; vero Belgis prope ſic quaſi *Murum*.
Auditor; quæſo liceat mihi Diſticha pulchra
Docti Dupæi recitare Encomia tanquam
Imperii Namiæ: ſic autem Carmina dicunt;
Quiſquis Naturam cupis hujus noſcere terræ,
Hanc tibi per paucis verſibus expediam.
Unica in fallor, tota eſt Provincia rupes,
Exili Gleba tecta ſuperficiem.
Rennuit hinc validum prædurus agellus aratrum,
Inſidias quod ei ſaxa doloſa parent.
Areſcit Tellus, nimium ſi deficit Imber,
Saxaque nimboſis heu reteguntur aquis.
Hæc à Quingentis memoratur plus minus annis.
Hinc Regio ferme tota fuiſſe Nemus.
Auguribus ſunt hic aptiſſima teſqua peritis,
Aſpera dumoſis non adeunda jugis.
Terra ferax ferri eſt, ſed pene Siliginis expers,
Triticeo farri nec bene conveniet.
Zea Petris gaudens, his paſſim creſcit in arvis,
Quæ farri neſcit cedere triticeo.
Saltibus & Lucis magna pro parte repletur,
Nec non Vitiferi collis abundat ager.
Manantes Rivi, vitreis de fontibus orti
Per valles crepitans, ſaxaque murmur agunt.

His genitos amnes umbracula frondis opacant,
Non posset Musis aptior esse Locus.
Hic Dominatus habet Fluvios, Sambramque Mosamque,
Navigeros, tamen est quam Mosa Sambra minor;
Sit licet ipse minor, tamen est piscosior illo,
Et majore beat fertilitate solum.
Metropolitanam qui postquam perluit Urbem,
Protinus in Moseas exoneratur aquas.
Nostraque Silva feras, dum pascit aprica fugaces,
Horrida Setigeris tota nigrescit apris.
Præ reliquis Regio est algenti marmore dives,
Quo surgit docta sæpe toreuma manu.
Quædam saxa rubent, niveis interlita punctis,
Porphirius passim creditur esse Lapis.
Navigio celer varium per clima feruntur.
Poscere quisque potest usibus apta suis.
Hac *Namia* ante annos fere tres fuit *Urbe* potitus
Armis elatus *Gallus*, quam postea crasso
Aggere cingebant magis, & munimine Valli
Forti circumdant: ac propugnacula *Castri*
Tam valida magni procurant mole laborum:
Ut quasi non posset vinci jactare superba
Elogia, ac *Castri* sint ausi scribere Portis.
Hanc Urbem ingentem simul & cum fœdere junctis
Arcem *Bæticolo Regi* REX ANGLICUS optat
Ac omnes nervos intendit vincere Magnus.
Sed ne Consilium patulas sub luminis oras
Quis rapiat, vigilat: fingit se velle relictis
Mœnibus his superare minorem, ac agmina mittit
Mosa Trajecto, curat tormenta Virosque
Deferri ratibus, tegitur sub navibus æquor.

Hucq;

Hucque cito veniunt pulcher ſimul ac Equitatus,
Et currûm vis magna, atque arma feruntur eodem.
Obſedit præmiſſus Eques, portiſque ſub ipſis
Stat ſonipes manditque ferox ſpumantia frena,
Raucaque *Naſſovios* cecinit dum tuba Triumphos,
Attentas lætum taratantara perſonat aures:
Tota cohors ſequitur, fortis ſubit inclytus armis
Miles & infeſtis ſederunt agmina ripis.
Jamque in conſpectu *Namiæ* Rex vaſta repente
Caſtra locat: late fugientibus arva Colonis
Vaſtantur, ſubita teepidant formidine Cives.
Hoſtibus his viſis, horrent: narratur adeſſe
Ignivomas *Bombas*, *Bombardas*, *Pyroboloſque*
Innumeros, diras Peſtes (crudelia Fata
Terrigenum) ſtrepitu ruptas ſimul igne minaces.
Interea rapidis aderat *Bouffleerſius* armis,
(Hoc facto celeber quod flammas ſubdere tectis
Agricolæ eſt auſus miſeri, ſimul atque Tyranni
Liligeri raptis nummis implere crumenam)
Ut Namiam ſervet, quam ſe conjecit in Urbem.
Mœnia nunc circumvallant Muroſque *Namurci*
Aggere ſe cingunt poſt ſe *Britannica* caſtra
Cum *Flandris*, *Batavis*, *Germanis*, *Bæticoliſque*
Omnibus his junctis: En *Villaregius* hoſtem
Ignotum dum ſpernit iners, ac certa Trophæa
Sperat & incautum, multis jam millibus auctus,
Dum putat è celebri *Lotharinga* ſtirpe creatum
Ductorem *Vaud'mont*, clarum Victricibus armis,
Aggreditur tumidus ſucceſſu & lætus inani.
Aſt DEUS avertit ferales Optimus auſis,
Hoſtis Lethiferi, quod tardis greſſibus iret.

Sic celeber *Princeps*, ſic *Vaudemontius Heros*
Deceſſit, riſitque *Ducis* conamen inane.
Præſtitit hic majus quam ſi ſpolia ampla tuliſſet.
Ac lento greſſu tandem pervenit ad arces
Gandavi, & valles ubi ſe tegit, atque ſub umbra
Ignivomi ferri, tutus ſic ſprevit inertes
Gallos. Hoc facto celebrabitur hæcce per ævum
Urbs per *Flandriacas* Urbes clariſſima, late
Metropolis, *Carolique* ſolum natale Potentis
Cæſaris invicti, magni quoque *Regis Iberi*.
Obſervanda *Ducis* nunc eſt *Oblivio Galli*,
Qui ſic deceptus, flagranti eſt percitus irâ,
Hocce modo cupiens magnum relevare dolorem
Senſilis *Opprobrii*, quod Relligione Colonos
Hic ſibi conjunctos, gladiis, flammiſque cruente
Oppreſſit miſeros, jurans ſe parcere nulli;
Et pepulit *Cleros*, & non conceſſa moveri
Vaſa profanavit, violans *Sacraria* Templi.
Curantemque Sacrum *Monachum* ſpoliavit amictu:
Et, quod terrificum fuit, in quo Maximus ipſe
Emmanuel, *Chriſtus*, (ſic dicunt) inſidet, Orbem
Affectus nullo, pedibus calcare pudore.
Strinxit in *Aſcetas* ſimul & crudeliter enſem.
Relligio hic ſpectanda venit ſanctiſſima Gallis.
Aſſidue interea Magnus REX *Anglicus* inſtat
Ex *Namia* ſuperata, ac *Arce* referre Triumphos,
Fortibus *Hiſpanis* data dextra eſt, læva animoſis
Eſt Anglis, medium virtus *Germana* tuetur.
Ultima defendunt *Flandri*, celebreſque *Batavi*.
Urget *WILHELMUS*, jam vim pugnantibus addit,
Jam timidos animat, compellat Centuriones,

Fulminis

Fulminis in morem fertur mens concita, ſeque
Cardine in hoc Rerum partes convertit in omnes.
Auditur tonitru, fragor ingens æthera complet:
Fulgura jam vibrant, feralis *Machina* flammas
Machina, terrifico quæ fulminat ænea bombo,
Concuſſi ſonitum vel ſummi imitatur Olympi.
It clamor Cœlo denſantur Funera campis,
Et pleni horrendis reboant mugítibus agri,
Infit ibi ſtrages, mactantur corpora letho,
Obſcuri cum Nobilibus mittuntur ad umbras;
Utque lacertoſus decollat Meſſor ariſtas
Ad ſatiem, ſic cæſa Virum ſeges ampla recumbit.
Nobilis hic *Godfredi*, *juſtique* probique Nepotis
Edmundi Godfredi, pro Relligione paterna
Raſorum technis Monachorum Martyris inſtar,
Londini cædem paſſi Mors accidit, eheu!
Lethifero globulo, Magno cum debita Regi
Officia offerret: Sic ſpes fallacia Vota
Sunt Hominis miſeri! ſic Mors hic quæritur ipſa.
Rex noſter, veluti Proles animoſa Leonis,
Irruit in medios, ſimul ac fortiſſima ducit
Agmina per Nubem & fulgentes ære Catervas
Nunc Gladioque Viros vibranti REGIUS *Heros*
A tergo ſtimulans fortes, clamabat ut *ultra*,
Ultra, per flammas, ferrum, globuloſque meando
Altos ad vallos, validos muroſque *Namurci*
Obſeſſi accedant. Metus & ſpes alterat Urbem
Inſtans quæ neſcit Fatum, ſortemque futuram.
Cottidie erumpunt Hoſtes validique truceſque:
Aſpera pugna novas varia ſub imagine lethi
Dat formas, fuit anceps certamen, modo Miles

Victor ovat *Gallus*, modo noſtri Præmia *Lauri*
Sunt meriti, fortes ambo, pro viribus ambo:
Fuſus utrimque cruor, cecidit quoque Miles utrimque,
Confixi expirant multi, cum Sanguine fundunt
Vitam ac immiti claudebant lumina morte.
Præcipue noſtri cum *Propugnacula* Fortes
Fortia conſcendunt capiuntque nitentibus armis
Aggerem, & ad Portam *Nicolai* Nomine dictam
Invadunt Urbis. Nunquam in certamine Miles
Horridiore fuit. Generoſo ſtemmate natus
Heydenius Baro, Populis nunc Archiſtrategus
Brandenburgiacis, Decus immortale ſuorum
Innumeram ferro plebem, ceu Letifer annus
Aut Jubar adverſi grave Sideris immolat umbris.
Concurrunt acies *Galli*, noſtræque Phalanges,
Ut nubes æſtu magno, magniſque procellis
Actæ inter ſeſe collidunt aere aperto,
Ingens inde oritur tonitru, vaſtique fragores,
Fulgur & inde venit, tum facta miſerrima ſtrages
Parte ab utraque fuit, vacuas vapor exit ad auras
Pulveris atrati, ſonitu movet æthera plumbum,
E ferro emiſſum turmæ, Mileſque laborat,
Ejaculat ferro Globulos, quos fata reſervant
Extremos luſtrant, vireſque animoſque reſumunt
Implent & globulis, ac atro pulvere ferrum.
Pugnantem relevat primum ſic ultimus armis.
Occiſi ſubit ille locos, ubi decidit ille.
Cedere dum parat, hic cadit, alter dum petit *Hoſtem*,
Labitur in terram fato tardatus acerbo.
Sternuntur *Proceres*, proſternunturque manipli,
Et perit ignotus Miles, fit plurima ſtrages.

Æqua

Æqua lance *Duces* tollunt cum milite bella,
Tantalicas nec curat opes, *Cræſoſque* potentes
Pauperiemque *Iri* mors negligit omnibus æqua.
Ingens nec robur nec Virtus profuit ulli.
Machina terribilem mittit ſuccenſa *ſonorem*,
Ingeminantque ſonos montes, valleſque reportant
Inque cavis recubans ſcopulis reſonabilis *Echo*.
Saucius ille jacet, miſeranda & voce lacertum
Deplorat fractum, rabieque irrumpit in hoſtes
Vulneris, atque ſuum demens ſedare dolorem
Hoſtis cæde parat, globulo deplorat & alter
Abruptum membrum, Socii dolet ille ruinam,
Atque ſui caſus optat furibundus Amici
Ulciſci, fato confeſtim labitur ipſe.
Nunc hic incolumis deterret cladibus Hoſtem,
Mox cadit exanimis, terram quoque ſanguine tingit.
Tandem, condenſis actæ teſtudinis armis,
Subducto valido vallo, cæcaque latebra
Pandunt prolapſa, ſuffoſſis mœnibus Urbem,
Quapropter celerare fugam, taciteque reverti
Hoſtibus eſt viſum, media ſub tempore noctis:
Hæc Fuga nos latuit, verum alta ſilentia quoſdam
Moverunt propius ſcrutari, & diſcere cauſas
Tum vero ut patuit timidos captare ſalutem,
Viderunt Hoſtes: nec enim nunc Juſſa Tribuni
Ulla valent, nec *Centurio* revocare ſolutos
Ipſe poteſt, ſuperant metus & præſentia mortis.
Nil hos detinuit, *timor illis addidit alas.*
Tertius *Auguſti* Menſis fuit ecce dierum
Gregorii ſtilo, quod ſignum *Gallica* Turba
Vexilli daret erecti, ſe pangere Fœdus.

Ac

Ac audire modum, *Namiam* quo tradere poſſent
Urbem, velle triumphanti Regique Ducique
Bavariæ electo, pulchras qui *Marte* gubernat,
Arteque *Belgarum* ditiones Nomine Regis
Hiſpaniæ celebris, quarum eſt *Namæenſibus* una.
Datque manus *Gallus*, ſic debellata fatiſcunt
Mœnia, turreſque, ac Ductor *Bouffleerſius* armis
Succubat *Auriaci* inferior, Populique ſuperbi
Demittunt caput, & flexa Cervice Potentem
Agnoſcunt *Carolum*, coeuntque in fœdera Regem.
Cum REX *WILHELMUS* veniam promittit, & inde
Obſidibus miſſis; velut ac à parte *Namuri*
Cum forti *Guiſcar* generoſos tranſigit actus:
Ut tractus Regis tunc detruncatus Iberi
Imperiis, proprias rurſus pateretur habenas.
Eſt *Arx* hic *munita loco, foſſaque profunda*
Fortis propter aquas, pinnatis ardua muris,
Arx antiqua, ferox, turgens victricibus armis.
Fecerat hanc mira celebris *Kœhornius* arte
Fortem, præfectus quam clarus poſtea *Gallus*
Megranius magis & ſtudio muniverat omni.
Confugerant illuc Hoſtes poſt Mœnia capta
Urbis præclaræ: ſunt hic Munimina miris
Circumcincta modis, validis legionibus iſtic
Septem vel circa, pars adverſaria ſtabat
Inſtructa egregie, nam flos erat illa Virorum:
Fruſtra fuit manui ſed forti obſiſtere REGIS.
Inſtat *Arauſiades*, & in altàm fervidus Arcem
Detonat, horrendo vibrant tormenta boatu
Telaque fulmineoſque globos, penetralia veſtæ
Scrutatur foſſor, caligantesque profundæ

Telluris

Telluris thalamos, cæciſque accenſus in antris
Mœnia ſulphureus reddit jam pervia pulvis.
Diffugere polo Stellæ, cœlumque remugit.
Rivera precipue Ductor cum nobilis armis
Hiſpanicis (heu! pugnans qui vulnere diro
Saucius hoſtilem madefecit Sanguine campum,
Magnanimam vitamque leves diſperſit in auras)
Strenuus & *Cavius* Miles, fortiſque *Swerinus*
Ad pugnam duxere Viros, *Bavaroſque* ſuoſque
Brandenburgiacos, *Batavos*, *Flandroſque* ruentes
In *Gallos* Hoſtes, alacres *Koehornia* valla
Aſcendunt, ſimul ac *Heroum Cutſius Heros*
Munimen validum, *nova* quod tunc Nomine *Terra*
Vulgari dictum fuit, aſſiliitque ruitque
In faſtum *Galli*, *Britto* cum milite forti.
Namia te ſenſit, *Cutſi* dum Militis omne
Acer obis munus, *ſeu jam defendier armis*
Caſtra opus, *& vivo ſurgentes ceſpite vallos*
Propugnare manu, *ceu celſis turribus ignes*
Ingeris, *& fervens muris hoſtilibus inſtas.*
Quamvis largifluo manat de vulnere Sanguis.
Nec te tela Virum, *nec te vibrantia terrent*
Agmina, *non calido cæſorum ſanguine criſtæ*
Rorantes, *gemituſque atque atro lurida tabo*
Corpora, *cornipedumque ardor*, *fremituſque cadentum*
Armorumque fragor, *velut horrida Mortis Imago.*
Strenuus hic *Hekerenus* obit *Gelruſque*, Cohortis
Præfectus validæ, *Fratrum* qui magna ſecutus
Pro Patria ceſſit fato Documenta *duorum*;
Ille ſua fretus dextra, & virtute phalanges
Fregerat hoſtiles, privaverat atque maniplos

Complures animâ, ſed circumventus & ipſe
Sternitur atque jacet, fimuſt & *Coulthorpius* Heros,
Quem genuit miſitque virum *Britannia* lata,
Et qui cum Sociis fidis, quid Dextra valeret
Monſtrabat Populi, quem protulit *Anglica* tellus,
Armorum nulli tanta virtute ſecundum.
Vir jacet egregius, cum multis undique Gentis
Militibus lectæ; quas ſtrages *Gallia* paſſa
Eſt hic eventus docuit præclara Magiſtra,
Cumque decem ſubito *Galli* ſex mille fuerunt
Ad numerum quartæ partis ſic ſtrage redacti.
Fit via vi rumpunt aditus, *primoſque trucidant*
Immiſſi noſtri, ac *late Loca. Milite complent.*
Invadunt manibus vallum cæſoſque relinquunt
Sub muris fractis, *prenſant faſtigia dextris.*
Implicuere inter ſe Acies, legitque virum vir
Immiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt
Pectora pectoribus tunduntur & enſibus enſes,
Vulnera vulneribus mortes quoque mortibus atris
Miſcentur; magno diſcordes Æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:
Non ipſi inter ſe non nubila non Mare cedit.
Atque furunt globuli, ſonitus pertingit ad Urbes
Finitimas, tellus rubicundo ſanguine ubique
Tingitur, abruptum Caput hic, hic arma jacebant
Hic Membrum campos, hic ſanguis polluit Herbas.
Ilicet exanimes per propugnacula Galli
Attollunt Dextras, & facto fœdere *Guiſcar*
Deponit clypeum, Portæ *Bouffleerſius* arcta
Laxat clauſtra, jubetque ſuos diſcedere vallis.
Quis tibi tunc animus *Guiſcar*, cum noſtra videres

Jam:

Jam debellatis plantari insignia portis?
(Portis hisce fuit fastu tunc Temporis omni
Scriptum, quod *reddi Urbs* non *vinci posset* iisdem)
Aspicis hæc, potuit te non Exercitus acer
Millibus instructus centum servare Virorum,
Arx *Villerojo* tibi dempta est atque vidente
(Vindictæ cupido Bombardis, Pyroboliſque
Bruxellæ Cives vexanti: pulchra Trophæa
Vincere fœmineum sexum, Pueroſque Seneſque!
Egregiam vero Laudem & Spolia ampla ferenti.)
Semper *amat* veros ingens *Victoria Testes.*
Stas hic *Bouffleerſi* tanquam nunc fulminis ictu
Percussus, remanere loco mediante *WILHELMI*
REGIS mandato cum cogeris usque Britannos
Tu *Batavoſque* viros, *Ludovico* quos *Ludovicis*
Tradiderant nequam, non digni Nomine dici,
Reddiderit Rex arte dolos in Pectore celans:
Sternitur hic ingens, jacet atque superbia Galli.
Strenua *WILHELMI* sic Cives Dextera magni
Sævorum tandem Dominorum strage redemit
Urbis, quæ claudit *Mosam*, tutumque *Ludicum*
Reddit & hostili demit cantare triumphos.
Invictas alias Urbes nunc hisce Locorum
Gallorum manui, dat sic & fœdere junctis
Hostis trans *Sambram* Turmas vexare cruenti.
Cum sic visendi studio ruit undique turba
Quanta solet nimbis deferri concita Grando:
Namurcum ingeminant, *Namurcum* personat æther,
Namurcum Loca festivis circum ignibus ardent.
Auditor præstans! Quæ gratia debita REGI
Convenit ingenti, summo qui Laudis amore

Succensus,

Succenſus, *Regni* charæ *Patriæque* furores
Horrendos Hoſtis *Galli* quam ſæpe coegit,
Pene Puerque viros vario Certamine vicit.
Non ſibi pro vita parcens nocteſque dieſque:
Auxiliante Deo Cœli, Miracula fecit.
Cedant *Pompeii*, *Curii*, forteſque *Metelli*,
Fabritii, *Fabii*, *Marii* cum *Cæſare* cedant,
Æmilii, *Caii*, *Luculli*, Fulmina belli
WILHELMO cedant: nunquam ſtravere phalanges
Hoſtis tam validas tanti *Regiſque* potentis,
Pro Grege Chriſtiadum ſoliti pugnare nec unquam
Antiqua Populum ſub Relligione tueri.
Vicimus exultare libet repetitque Penates
Victor, poſt domitos Hoſtes, Urbemque ferocem,
Heros inde pedem multa cum Laude reflexit.
Hunc REGEM *longi* remeantem *Pompa Triumphi*
Excipiat, ſacraſque petant *Capitolia Pompas.*
Ingreditur, victorque Viros ſupereminet omnes.
Præ reliquis noſtro eſt *WILHELMUS* dignus amore
Auxilium miſeris, Turbæ Tutorque fidelis
Delicie Populi, Patriæ Regnique Redemptor,
Et juris Cuſtos & Relligionis avitæ.
Tam juſto & placido imperio, Sceptroque potenti
WILHELMI magni nos ſubjiciamus Amici,
Contenti cum ſorte, pie ſic abſque querela,
Gratia ſitque Deo pro tanto Munere dicta.
Non eſt par Regnum noſtro quo vivere Civi
Sic vitam licitum eſt, tanquam ſub vite quietam,
Ingenue tutoque Deum ſine vique colenti,
Ac ſub REGE pio noſtro fortique *WILHELMO.*
Principe pro tali, DEUS ut Munimine ſervet

Impe-

Imperium, Populumque ſuum, gravibuſque remiſſis
In Chriſto mendis, tollamus ad æthera palmas.
Quas tibi, quas panget meritas Eccleſia grates
Quod tibi dulce melos, vel quæ tibi Carmina fundet
Magne DEUS. Laudis poſtquam mihi ſufficis amplam
Materiem, famæque tuæ, faſtigia cœli
Quæ longe exuperat, terraſque ſupervolat omnes.
Ecce igitur tua facta canam, tua facta per oras
Externas ſpargam, qua Sol ſua Lumina fundit
Et qua *Bactra* jacent, qua ſurgit *Caucaſus* ingens.
Quod juſtas poſitæ à primo fundamine Terræ
Servaſti tuto validas virtute Catervas,
Uſque laborantes, & adhuc defendis Amicos,
Nec rem nec prolem nec juſti deſeris ædes;
Illius aſt Greſſus prudens, actuſque gubernas.
Vis nulla innocuos feriet, nec tela, nec enſes,
Seu *furor* attonitum turbet jam *Gallicus* orbem,
Turbida ſeu rurſus ſua concitet æquora Dæmon
In Sanctos, ſeu cuncta premat violentia flammæ,
Atque tibi bonitas, & ſimplicis undique candor
Eſt curæ veri, & fati labefacta procellis
Non ullis pietas, hanc è Diſcrimine Belli
Eruis, hanc colis, hanc ſummo Munimine firmas.
Dum ſtabit tellus, dum volvet Sidera Mundus.
Tu DEUS in tectis reſidens flammantis *Olympi*,
Stultitias Hominum rides, Menteſque ſuperbas,
Dejicis audaces tanta & virtute Catervas
Deles. Crudelis Hoſtis cecidere phalanges,
Ac *Gallos* feros tua vaſta potentia fregit,
Qui ſtulto turbare tuum Conamine *Gnatum*
De Cœlo cupiunt, ac impia Bella Gigantum

Suſcipiunt, curaſque ſimul vacuoſque Labores.
Infirmis tu dans lætos celebrare Triumphos,
Et nos immeritis cumulans DEUS *optime* donis
Auſpicio Cœli REGEM victoria noſtrum
Indignoſque viros lætis amplectitur alis.
Plurima per charæ ſervas diſcrimina vitæ
Tu ſervumque tuum REGEM noſtrumq; *WILHELMUM*
Inſtar & hunc oculi Pupillæ diligis atri,
Cum Salvum noſtras *Unctum* deducis ad oras,
Dans hic ut faciem læti videamus amantem,
Subjectis gratos REGIS magnoſque triumphos.
Magne Deus dictans Marium tua jura procellis,
Qui refluo Batavos, Angloſque interluis æſtu,
Ad *Tameſin* REGEM tutum tu ducere noſtrum
Vis, ac Albionis fidos das tangere portus
Illi, ac per fluctus libero ſua pandere vela;
Servas Depoſitum hoc, placidoque invecta profundo
Anglis, hunc reddit REGEM nunc læta carina.
O nimium Dilecte tibi, cui militat Æther
Et conjurati veniunt ad Claſſica venti.
Quæſumus in Dextra longum ſit organa forti,
Frangere Gallorum vires quæ poſſit atroces.
Ac dum Bella furunt, cupimus quæ fervida tolli,
(*Nulli Salus Bello Pacem te poſcimus omnes*)
Nunc Deus *Omnipotens* placido nos aſpice vultu
Et noſtras facilis prodi Dux ante phalanges:
Ut *Gallos* Horror, vel Dextera diſſipet Hoſtes
Palantes & agat: Ni nos tua magna poteſtas
Servet ni nobis vires animoſque miniſtres,
Ne quicquam ferrum, ne quicquam ſtringimus enſes,
Sis memor ergo *Pater* noſtri mitiſſime Caſus,

Noſtro-

Noſtrorumque *Patrum*, ſoboliſque ulciſcere Cædem
Vindex, da noſtris ſterni ſic Enſibus Hoſtes.
Audaceſque viros ira proſternito prompta.
Ingentem in *CHRISTO* culpam *Dominoque* remittens,
Quæſumus ah! noſter ſis nunc æternus Amicus.
Si tu pro nobis quiſnam contrarius Hoſtis
Sic oberit *CHRISTI* Populo: Tunc Anglica Tellus
Juſtitiam canet uſque tuam, tunc ſera Nepotum
Secula te patrio celebrabunt Carmine, donec
Terra manet, donec Sol cardine ſurgit Eoo.
Hæc des in *CHRISTO* quæ magna petivimus: *Amen.*

Auriaci adventus rumor, ſimul alta trophæa
Portans, quam ſubito noſtras ingreſſus in aures
Jam fuit in Cauſa quod lætus corde, Potenti
Sic pro REGE preces noſtro, ſic Carmina

DIXI.

MANTISSA.

UNum Verbum fini horum Carminum, Candide & Benevole Lector adjiciendum neceſſe duxi. Cum mihi illam Machinam belli[illegible] nuper & noviter in *Germania*, ut fertur, inventam deſignanti, ac ab aliis hujus Generis Inſtrumentis diſtinguenti, non aliud & melius ac *Bombæ* vocabulum à me formatum occurreret: ſperome excuſationem apud te benignam inventurum. Deduxi illud non à *Belgico*, vel potius Germanico *Bombe*, ſed à latino *Bombo* vel Græco Βόμβω, quamvis vox belgica fortaſſis ad hanc formationem mihi dederit occaſionem. Hæc vox *Bombi* vel Βόμβος proprie ſonum tubarum raucum, nec valde acutum ſignificat, ſecundum *Calepinum*, qui dit, *vox tracta ab ipſo ſonitu, ſicut Mugitus Boum.* Perſius; *Torua*

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis. Et illud in re Poeticâ, cui plus ut notum est, licentiæ concessum est quam solutæ orationi, æque excusari posse confido, ac quod alii aliam Machinam bellicam, cujus in eodem Carmine & loco mentionem facio, *An.* 1380. à Germano illo noviter inventam & fabricatam, ex eodem ipso *Bombo* vel Βόμβω, *Bombardam* fecerunt. Posito autem quod hujus originis Græcæ vel Latinæ fuissem ignarus, non puto tamen me ullum in hac materia alicujus vitii recte insimulare posse, si à Germanico vel Belgico *Bombe* designante novam illam Machinam antea ignotam, in Carmine traherem meam formatam vocem *Bombam.* Instar omnium mihi hic est Magnus *Johannes Gerardus Vossius*, in suo doctissimo Opere, de vitiis Sermonis, & Glossematis latino barbaris, libr. 1. cap. 7. pag. 32. cum dicit *BOMBARDA, ab ardore cum Bombo de quo vidimus libr.* 4. *Orator. Institut. cap.* 13. § 7. *Nec minus tamen licuisset alia ex lingua uti Germanica, unde res accepta alia plane inducere: ut si ex* roer, musket, cartouw, geschut, *fecissent* ruram, muscettam, cartovam, geschuttam. *Dura nunc videntur: sed usus emollivisset. Nec* barbara *eo deberent censeri quod ex lingua peterentur, quæ olim* barbara *est habita. Nam si necessitas adegit veteres Romanos, ut voces acciperent ab Hispanis, Gallis, Germanis, Britannis, Afris, Ægyptiis, Syris, Persis, aliis, quod pluribus antea exemplis planum fecimus: cur [illegible] itidem nobis liceat, quoties rem nescivere Romani, voca ulâ Germa[illegible], Gallica, alia donare flexu Romano atque ita quia monetâ jam percussa sint Romanâ, ea usurpare pro Romanis? Nam qui olim non abstinuere illis, quia propria lingua vocibus careret: cur hæc si adhuc forent, reformidarent, quando illa æque exprimat necessitas.*

ERRATA.

SCiat præterea benevolus Lector, Typographum oscitanter satis Voces plurimas appellativas majusculis literis impressisse, ac omisisse accentus innumeros & distinctiones. Quod ut benigno animo excuset Lector, obnixe & humanissime rogat Auctor, [illegible] cum vitiis Typographicis crassioribus, quæ hæc sequentia sunt & sic emendanda.

Pag.	Lin.	pro	leg.
5	7	Homines	Homini
6	20	Swmmerdamme	Swammerdamme
10	26	Hominum	Hominum
11	20	Dardanidasque	Dardaniasque
12	11	ingenres	ingentes
13	9	Enkomia	Encomia
13	13	in	ni
17	22	fulgentis	fulgentes
19	21	media	mediæ
22	28	fecto	pacto